



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

Prologvs In Hunc Libellvm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

Lauda Deum cum omnibus sanctis in terris, quem laudant omnes Angeli in caelis. Si laudas, Angelis asimilaris: si non laudas, ingratus es, & peior bestiis. Ecce volucres caeli cantant, pisces natant, canes latrant, pecora clamant, & omnia elementa ad laudem Dei se mouent, & magnificentiam creatoris sui naturalibus motibus demonstrant. In cunctis ergo quae agis, habe Deum praecipue oculis tuis. Caue offensas: gratias age pro beneficijs impensis, & in fine cuiuslibet operis tui, corde tenus regratiando Deo sic concludere: Deo laus nunc & in aeternum. Omnis spiritus laudet Dominum. Amen.

VALLIS LILIORVM

AD LAUDEM DEI,

PRO SOLATIO TRIBVLATORVM.

PROLOGVS IN HVNC LIBELLVM.

Osee 14.

Iustus germinabit sicut liliū, & florebit in aeternum ante Dominum. Iste libellus potest nominari *Vallis Liliorū*, ad distinctionē alterius praecedentis, qui Hortulus Rosarū intitularur. Quia sicut ille tractat de multis virtutibus, tanquam de rubris rosis in hortulo Iesu natis; sic iste loquitur de multis virtutibus, tanquam de candidis lilijs, in valle humilitatis à Domino Iesu plantatis, & Spiritus sancti intima asperione dulciter irrigatis. Nam teste beato Gregorio, qui sine humilitate virtutes congregat, in vētū puluerem portat. De his quoque lilijs loquitur etiam Sponsa Christi, humilis & deuota anima, ad Iesum Sponsū suū in Canticis Canticorū, ore cantans & corde iubilans, de visitatione sui & donis eius. *Dilectus meus* (inquit) *mibi, & ego illi, qui pascentur inter lilia.* Et iterū: *Dilectus meus candidus & rubicundus, inter robera mea commorabitur.* Cui laus, honor, & gloria, in saecula saeculorum, Amen.

Humilitas
radix &
mater vir-
tutum.

Cant. 6.
Cant. 5.

CAPVT